

20. Eustathius Antiochenus, alterum fidei orthodoxe propugnaculum, vir insignis eruditionis, qui eloquenti oratione Nicenam Synodum aperuerat, & nomine universi Concilii Constantino Magno gratias egerat, rabiem Arianorum pariter in se fuit expertus. Visum est Eusebianis hunc acrem fidei defensorem e medio tollere. Eusebius Ecclesie Constantinopolitana, post deturbatum ex illa eximium Paulum, in favor, vir aulicus & Constantii gratia fretus, specie sacra Palestina loca invadendi, una cum Theognide Nicæa Episcopo Arianae factioni addictissimo, fraudulenter obtentis a Constantio quales voluerat honorificis litteris, & copioso itineris commeatu, via se dedit cum superbo & ambitioso comitatu, fuitque quacumque proficerebatur juxta Imperiale mandatum honoribus amplissimis exceptus. Hunc Antiochia pertransientem Eustathius amicissime & honorifice excepit, inde Jerusalem fastuosus Prælatu contendit, quo in itinere sceleratum consilium disperdendi Eustathii, Theognidi Nicæno, Eusebio Casariensi, Patrophilo Scythopolitano, Aetio Lydda, Theodoro Laodicea, aliisque qui se comitabantur Antistitibus Arianae, aperuit: qui omnes Eusebium Constantinopolis Episcopum redeuntem Antiochiam specie honoris deduxerunt. Ibi meretricula pretio conductæ persuaserunt, ut lingua sua operam voluntati Episcoporum accommodaret. Apud istos ergo ad fraudulentam Synodum Antiochiæ congregatos, petulans femina in medium introducta exposulat, se infantem quem ulnis gestabat Eustathii congressu concepit, qui tamen pollicitam & concubitus mercedem, & infantis educationis pretium, tametsi sapissime rogatus, exolvere recusabat. Eustathius tam infami calumnia impetibus postulat, ut si quem ejus rei consilium tetem haberet, proferret accusatrix. Illa negante illum se habere tetem, eo quod illam conventionem Eustathius sua fama consules, clam & semotis arbitris secum inisset, juramentum iniquissimi iudices infami proflibulo detulerunt adversus Antistitem tertiam inter primarias Ecclesie, virtutum omnium splendore venerabilem, quantumvis divina clament oracula, non nisi duorum aut trium, omni exceptione majorum, asseveratione fidem esse ulnis accusationibus adhibendam, & Paulus ad Timotheum Episcopum scribat: accusationem adversus Presbyterum ne recipiat, nisi sub duobus aut tribus testibus. Attamen flagitiosi Episcopi, spretis divinis humanisque legibus, accusationem adversus talem tantumque virum unius scortii asseveratione ratam esse voluerat, atque ita Eustathium meritis eximium & senem omni commendatione majorem Episcopatu abdicarunt. Non defuerat tamen Episcopi perverfa machinationis inscii, qui hanc nequitiam indigne tulerunt, & refragati sunt: sed doli hujus opifices Constantio sollicitè persuaserunt, & veram esse accusationem, & Eustathium abunde convictum, ejusque exilium impetrarunt; qui Trajanopolim deportatus diem ibi clausit extremum, anno 340. At vero meretrix, gravi postea aegritudine correpta, nec tantum vite sue metuens, sed magis conscientia urgente de anima propria salute sollicita, totam illam Episcoporum machinationem propalavit; seque mercede ab Eusebio conductam alte confessæ est: nec tamen omnino falsum quo se atrinixerat juramentum fuisse, quandoquidem verus infantis pater Eustathii nomine, fuerat quidam faber ætarius. Divus Hieronymus eleganter in Apologia 2. contra Rufinum, machinationes Eusebianorum adversus Athanasium & Eustathium his exprimit verbis: *Eustathius Antiochenus Episcopus filius dum nescit invenit. Sic Athanasius Alexandrine urbis Pontifex tertiam Arsenii amputavit mamam; quas enim qui mortuus prius fingebar vivens postea habere monstratus est.* Hanc in Athanasium imposturam alter Eusebius, nimirum Casariensis, in altero scilicet apud Tyrum conciliabulo machinatus erat.

21. Quid memorem Osi, quid Liberii Pontificis persecuciones; quid utriusque lapsus deplorandos? quam est odiosa Constantii inhumanitas! Oium insignem meritum, quem tantopere pater Constantinus veneratus fuit, ejusque opera & sanctissimis consiliis, plenisque sapientia in arduis & præcipui momenti rebus fuerat usus; illum, inquam, tempore Diocletianæ persecutionis, acceptis plagis & vibicibus pro fidei professione spectabilem; illum qui Legatus Apostolicus duobus œcumenicis Conciliis Nicæno & Sardicensi præfederat, pluribusque aliis nationalibus Synodis; illum qui tot illustres Legationes sub Magno Constantino magna laude obiverat; illum jam ætate nonagenarium, corpore animoque jam per ætatem longævam infirmatum, fuisse a Constantino carceribus maceratum, verberibus indignissime caesum, quibus tandem afflicto senem ad nefariam confessionem in Ariano Simoni Concilio adigit, anno 357. Quo in eodem Concilio Liberius Romanus Pontifex, post biennii pro Catholica fide tolera-

tum exilium, affectu immodico recuperanda pistoria Sedis, ad quam amulus ejus Felix fuerat a Constantio intrusus; Athanasii condemnationi subscripsit. Eadem Constantii impietas sanctissimos Pontifices Hilarium Pictaviensem, Eusebium Vercellensem, Dionysium Mediolanensem, aliosque multavit exiliis. Eiusdem præterea Constantii tyrannide, simulque pseudoepiscoporum Ursaci & Valentis pravis artibus, Arimini celebratum Concilium fuit anno 359. quod falsis initiis auspiciatum, inauso tandem exitu dirumptum est in Occidente. Quo eodem anno in Oriente ab Ariana celebratum pariter fuit Seleucense, in quo solus Hilarius pro fide orthodoxa, propter quam exulabat, strenue dimicavit.

22. Ut vero a rebus Ecclesiasticis ad res Imperii digrediamur. Occiso Constante, ut jam dixeram, a Gaisone Magnentii tyranni duce, atroci pralio dimicatum est apud Murfam Pannoniæ urbem, inter duos exercitus oppositos Constantii & Magnentii, quo victa primo impetu fuit Constantii acies: sed eadem resumptis animis exultantem Magnentii copias immuni strage affectit, atque in fugam compulsi, anno 357. Magnentius vero post suorum eadem desperatis rebus suis Galliam confugit, sed a cunctis derelictum se videns, Lugduni propria manu sibi mortem conscivit. Decentius quoque, cui frater Magnentius Cesaris nomen dignitatemque contulerat, seipsum apud Senonas interemit.

23. Constantius, obtenta de Magnentio victoria, patriam suam Galliam Casarem creavit, cui Orientis regimen commisit. Sed dum summa potestate per vim & libidinem Gallos abutitur, iussu Constantii in Illyrico perimitur. Julianus minor Galli frater vix neci ereptus est precibus Eusebia uxoris Constantii; & Athenas ad litterarum studia dimissus, in quibus Gregorius Nazianzenum condiscipulum habuit. Hinc ex studiis rediens Cesaris dignitate a Constantio honestatus est, & Gallis præfectus celebres de Germanis, Francis, & Alerjannis Galliarum fines incurstantibus, victorias reportavit.

24. Interea Persa limitaneæ Imperii Provincias in Oriente armis infestabant. Nisibim Imperii propugnaculum, ante paucos annos archa obfidione cinxerat: sed urbis obfessa Episcopus Jacobus eidem, fuis ad Deum precibus, open tulit: obtinuit enim a Deo culicum agmen, Persas eorumque jumenta usque adeo molestant, ut compulsi fuerint obfidione soluta recedere. Sed postquam sanctum Antistitem Deus in calum evocavit, Persa majore sumpta fiducia obfidionem iteravit, dum Julianus transmisso Rheno propagatissime Imperii finibus, suisque victoriis insolens, purpura & aliis insignibus, iussu Constantii, in Constantium rebellat. Constantius anxius & animi incertus, quemnam ex tam diffisis hostibus adoriatur, febri superveniente moritur. Tum Julianus, nemine jam prohibente, proclamatur Imperator Lutetia Parisiorum anno 361. Exinde Constantii amicos, qua opum expoliatioe damnat: novaque impietate suam aspiciatur Imperium. Christianam enim religionem palam ejurat, idolorum fana referat, solos Paganos gratia & favore prosequitur, Christianos dignitatibus & officiis arceat, & quibuscunque dolis & oculis artibus sagillat, atque infestatur, eisque omnibus litterarum studiis interdicit, ut debiliores & despectiores efficiat. Quin etiam in perfidia societatem Judæos adjungit, quos ad instaurandum Jerusalem Templum excitavit: sed impios conatus Deus miraculo prohibuit, erumpentibus de inchoatis fundamentis ignibus, simulque apparentibus in Judæorum amictu crucibus, quas nulla potuit dotio abluere. Nec his contentus, libris etiam editis Christianam religionem procaciter impugnavit.

25. Excurrente anno Christi 362. Liberio Summo Pontifice, dum Julianus a caecodemonibus circumventus, ad Persicum bellum, quod sibi fastum fore ominabatur, se accingit, Antiochie ad Orontem amnem sita constitit aliquandiu quamplurimis sacrificiis Apollini Daphnaeo litans. Hærebat huic civitati antenissimum suburbium nomine Daphne, lauris, aliisque videntibus arboribus constum, fontibusque irriguum, quo profana antiquitas Apollini dedicarat; in quo diabolus oracula fundebat: quæ tamen obmutuerant, ex quo Christiani eum in locum sacras reliquias intulerant Babyle Antiocheni Episcopi & Martyris, qui sub Deciana persecutione gloriosam mortem oppetierat. Tameis vero (ut sanctus observat Chrysofomus) innumera hominum & jumentorum jacerent ossa & cadavera, sola Babyle sanctitas potuerat demoneis obstruere ac mutum reddere. Iussit ergo impius deservit Julianus inde sacra Martyris pignora asportari: cui parvere Christiani adhibitis sacris cantibus, cereisque & funalibus accensis, solenne pompa in urbis Ecclesiam reportarunt. Sed novo ostento Deus & Martyris sui ejectionem, & Juliano

ultus

ultus est impietatem. Hoc enim indignante frementeque tyranno, eademque in urbe versante, post amotum venerandi Martyris locum insequenti nocte Daphnaei Apollinis fanum confagavit, eoque igni totum falsi numinis simulacrum in cineres versum fuit. Julianus exandescens diram exercitum quæstionem in ipsum profani templi Sacerdotem, & ædituos, ac famulos, ut incendiū calumniam in Christianos rejicerent: Sacerdos vero tormentis dilaniatus, nihil aliud quam quod verum erat, prodere, ignem calitus immisium culmini templi primum incubuisse nocte intempesta, indeque ad adis inferiora pervasisse; illaæque reliqua fabrica solum tectum, & inferius collocatum idolum ignibus absumptum. Hæc non tantum a Christianis ejus sæculi scriptoribus, Gregorio Nazianzeno, Socrate, Rufino, Sozomeno, Theodorito, Chrysofomo, qui tunc Antiochiæ juvenili ætate versabatur, fuitque rei gestæ oculatus testis; sed etiam a profanis ethnicisque scriptoribus, Libanio, Ammiano Marcellino, ipsoque Juliano Augusto, in suo quem Misopogonem inscripsit libro referuntur.

26. Ipse vero nefarius apostata, & impius transfuga, dum exercitum apparat, casus, quod vel dictu horrendum est, humanis victimis: & dissectis ad magicam tartareamque haruspicinam femininarum prægnantium & capillis suspensarum uteris, in Persas movit; trajectoque Euphrate, naves omnes, quæ commeatui copias suppetidando, novisque delectibus ad Romanum exercitum transvehendis necessariae omnino erant, stolido consilio combussit, quasi suis animam additurus fugæ desperatione: quo factum est, ut traductus per hostium sterilia & arida deserta Romanorum exercitus, fame, siti, lassitudine, rerumque omnium penuria in ultimum sit differtimem & desperationem redactus; jamque occurrentibus Persis, per quos internecone deletus ac casus fuisset, auctor omnis mali Julianus telo incerto transfixus est, moriensque exceptum cava manu cruorem in calum jecit, cum hac blasphemæ voce: *Vicisti Gallæe.*

27. Cladi superstites milites Joviniano Imperium deserunt, qui attestatus est initio se Christianum esse, nec delarum sibi suscepturum Imperium nisi data ab offerentibus fide, se quoque velle Christianos esse; quibus in idem consentientibus, acceptisque hostium benigneitate victualibus, & ad remeandam navibus, pacem cum illis ferit, si non decoram, attamen necessariam. Imminuta exhaustæque Romanorum copia ad propria revertuntur. Jovinianum omnibus virtutum ornamentis ex cultum Principem Deus terris tantum ostendit, nec ultra esse sivit. Etenim anno ipso quo relatus est Imperator, edita ut religiosum Principem decebat lege, Ecclesiis frumenti largitionem, olim a Magno Constantino assignatam, posteaque a Juliano suppressam, restitui edixit. Dumque Constantinopolim proficiscitur morte in finibus Bithyniæ & Galatiæ præventus terrenum regnum ecclesi commutavit. Causam morti ejus dedere prunæ in ejus conclavi hybæni frigoris temperandi causa succensa (id enim contigit Februario mense, ut scribunt Socrates & Eutropius) quarum vapore spirituum meatus ocellus nocte inventus est suffocatus.

28. Extincto Joviniano Valentinianus militibus suffragiis anno 363. suffectus est. Hic subinde Valentem fratrem accivit, cum quo Imperium ita partitus est, ut sibi Occidens remaneret, Orientem vero Valens regeret. Commune in primis edictum ambo pro Catholica seu Nicæna fide promulgarunt. Valentinianus exactis in Imperio duodecim annis, dum adversus Quados expeditionem parat, qui excursionibus in Galliam grassati fuerant, Legatis eorum veniam rogantibus, ira vehementius exandescens, subita correptus apoplexia paulo post extingitur, binos superstites relinquens filios, Gratianum quem vivens fecerat Augustum, & Valentinianum juniorem, quem sexto post die factio militaris ad idem fastigium dignitatis evertit. Gratianum Valentinianus ex priore matrimonio susceperat, Valentinianum ex secundis cum Justina nuptiis.

29. Valens in Oriente, peremptis Procopio & Marcello tyrannis, a quibus fuerat affectatum Imperium, bellum continuum cum Gothis gessit impari successu. Tertio namque anno ex quo imperium est exorsus, hortatu Arianae conjugis, in eandem quam prius damnarat hæresim traductus est: susceptoque adversus Gothos bello, qui trajecto Istro terras Imperii populabant, baptismum expetiit ab Eudoxio Constantinopolis pseudoepiscopo Ariano, qui ab eo nefarium jusjurandum exegit se in Ariano dogmate persistiturum, & eos qui contrarium sentirent pro viribus infestaturum. Idque reipsa præstitit. Quæ causa fuit Gregorio Nazianzeno & Basilio ex pacifica solitudine discedendi, ut apertius Ecclesie laboranti suppetias ferrent. Monachis autem præcipue infensum se Valens exhibuit, misitque in eorum deserta & cellulas satellites suos, qui sustibus om-

nique violentia abductos cogebant impio edicto Nicænam fidem ejurare, & abjectis monasticis vestibus in militiam conscribi. Orthodoxos Episcopos vestidit est infestatus, Meletium Antiochenum, Eusebium Samosatensem, & Basilii Magni fratrem Gregorium Nyssenum procul a propriis Ecclesiis relegavit. Idem in ipsum Basilium molitus, sed divinis miraculis prohibitus fuit: simulque in Athanasium, sed Alexandrinorum seditionem metuens a captis destitit. Catholici ab Ariana oppressi, octoginta venerabilium Sacerdotum & Diaconorum supplicem legationem ad Valentem miserunt, at ille Cyclope immanior a se dimissos & navi impositos in medio mari, per Modestum præfectum, incendio simul & fluctibus absumpsit.

30. Postquam Athanasius lecto decumbens in cælum abiit, Lucium Arianum Valens ei subrogavit, misso simul exercitu, qui Catholicorum cædibus dirique supplicis, virginum sacrarum raptationibus, directionibus ædium, omnique sacrilegarum impietatum genere, plures dies grassatus est. Ita contingere anno 371. quo Athanasius obiit, postquam Alexandrinæ præfuit Ecclesie annis 46. inter perpetes ab Ariana angustias & infestaciones.

31. Mauvia Saracenorum Regina, cui bellum Valens indixerat, fuis Valentis copiis, insignem de Romanis victoriam reportavit: neque pacem iniri ullatenus passæ est nisi hac conditione, ut genti suæ Moyses sanctissimus anachoreta præficeretur Episcopus; qui Alexandriam adductus ut consecraretur, a Lucio nullatenus sustinuit sacrilegis sibi manus imponi; eoque res evasit, ut conquistæ Orthodoxi Episcopi Moysen Episcopali ordinatione consecrarent.

32. Gothos in belli societatem Valens accivit; sed Hunnorum incurfione sedibus suis pulsi supplicem legationem ad Valentem destinarunt, rogantes ut sibi sedes quas incoleret ad Istui ripas concederet, quas suis armis adversus finitimos barbaros tutarentur; pollicentes se fore Imperii potestati subditos clientes. Quæ fide data receptaque, suavit Valenti Constantinopolis Præfati Arianus Eudoxius, non aliter sedes stabile fore nisi gens illa eandem cum Imperatore religionem, eademque sacra susciperet. Quocirca usi sunt opera Ulphilæ Gothorum Episcopi a se corrupti, qui eos pridem Orthodoxos ad Ariana impietatem, utpote rudes & barbaros, haud ægre traduxit, contentibus missis a Valente Legatis. Antea vero Gothos illibatam tenuisse Catholicam fidem, diserte affirmat Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 31. & Theodoritus lib. 4. hist. Eccles. cap. ult. Hallucinetur ergo Sozomenus, dum scribit lib. 6. cap. 37. Ulphilam primum Gothos ab idolorum cultu ad Christianam professionem convertisse.

33. Sic igitur Gothi, inito cum Valente federe, illud idem brevi intulerunt. Per eosdem enim quos sibi fidissimos & addictissimos fore Valens confidebat, divina ultio parabat eidem exitium, a quo tantopere fuerat adversus Ecclesiam favitum. Enimvero quo eodem tempore Deus illustrem victoriam Gratiano religiosissimo Romanorum apud Occasum Imperatori, de Alemannis rebellantibus indulsit, alteri Romanorum Orientalium perfido Imperatori, gravissimam intulit cladem ac perniciem a perduelli Gothorum gente, qui a sedibus sibi præscriptis exilientes, quam in ditionem Valentis præabundi erupissent, hunc compulere ut obviam cum exercitu adversus eos grassantes occurreret: sed magna strage cæsi a Gothi Romani in fugam vertuntur ad Hadrianopolim Thraciæ, ipseque Valens sagitta confixus, quem præ vulneris dolore ulterius fugere non posset, se in turgurium abdidit, in quo vivus una cum turgurio, a superveniente hoste injecto igne, miser confagavit.

34. Cladem adeo funestam Valens evitasset, si mens non læva fuisset, sed eam sibi accersivit, tum suis quæ præcesserant criminibus, tum præseati temeritate. Gratianus enim Augustus ejus ex fratre nepos celeriter debellatis feliciter ad Rhenum congressu Alemannis, cum victricibus copiis magnis itineribus ad Valentem contendeat, ut conjunctis viribus Gothi profigerentur: sed æmulatione gloria invidiæque, ut soli sibi victoriæ, quam præsumebat, laus ascriberetur, istam celerrime prævenit Valens copiarum junctionem, ut solus cum Barbaris confingeret. Felicissime autem Gratianus Alemannicum bellum consecerat; primaque acie quadraginta Barbarorum millia cæsa interfecitque fuerant, eorumque castra direpta. Sola supererant Alemannorum quinque millia, quæ stragem fuga evaserant; sed victore superveniente Gratiani exercitu, abjectis armis sui dedicationem fecere, ut Ammianus Marcellinus commemorat.

35. Mortuo sine liberis Valente, hujus successio ad Gratianum devoluta est, atque ita duo imperia in unum coaluere; sed novis supervenientibus bellis iterum di-

vifa